

habetur. Vt cetera taceam, definitio haec ex parte obscura est, ex parte etiam falsa. Obscura est, quia non determinat quod quaestionem mouet. Quatenam enim sint ista testamenta, ad quorum essentiam scriptura requiritur, definitio ista non indicat, id quod tamen indicare debebat. Nam cum, quaeso, quid sit testamentum scriptum? non scire cupio, quod ad eius essentiam scriptura necessario sit adhibenda, cum hoc vis vocis ipsumque nomen quodammodo indicare videatur: Sed id hac quaestione volo, vt sciam, quatenam sint ista testamenta, ad quorum essentiam scriptura requiritur, et quae praeter sollemnia omni testamento communia ad sui subsistentiam alias adhuc desiderant sollemnitates scripturae. Id quod ex definitione ista non intelligitur, bene tamen ex nostra, quam infra sumus suppeditaturi. Ex hoc denique patebit, quod omne testamentum, cuius tenor testibus non est manifestatus, testamentum sit scriptum, adeoque non aliter valere possit quam accedentibus scripturae sollemnitatibus, vid. infra §. XXIV.

XX.

Falsam dein quoque esse definitionem memoratam, ex hoc patebit. Dantur enim testamenta, ad quorum essentiam scriptura requiritur, et tamen sunt nuncupativa. Recurrit hic iterum testamentum instrumento comprehensum. Hoc enim concipi non potest sine scriptura, adeoque scripturam ad sui essentiam et subsistentiam requirit, et tamen est nuncupatiuum, vt probauimus §. XVI. Penitus porro huic definitioni contradicit exemplum de testamento coeci, cuius forma traditur *in L. hac consultissima §. C qui Test. fac. poss.* et repetitur *in constitut. Maximiliani d. a. 1512. T. II.* Hoc enim